

exaggerant, ipse, modico contentus lucro, res suas pretio notabiliter minori hospitibus tribuit. Ut præviderat succedit eventus : undique enim ad ipsum confluunt hospites, et numero abunde compensat quod de pretio detrahit. Sed ecce ingens exoritur tempestas, aliorum scilicet cauponum, qui, cum hospitia sua deseri cernant, contra PHILONICUM inflatis buccis vociferantur. Hinc fit ut, cum ad confitendum accedit, a confessario carpatur, et de gravi peccato tum contra caritatem, tum contra justitiam damnetur, atque prohibeatur severe ne id peragere prosequatur.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An revera PHILONICUS contra caritatem et justitiam graviter peccaverit, si pretium rerum non fuerit lege determinatum?

2<sup>o</sup> Quid vero, si pretium rerum aliqua lege determinatum fuerit?

3<sup>o</sup> Quid sentiendum de moderatoribus curruum publicorum (diligentes), qui pretium transvectis imminuunt, ut concurrentes corruant? Et quid, si peregrinos gratuito prorsus transvehant?

SOLUTIO :

642. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. 1<sup>o</sup> PHILONICUS non peccavit contra justitiam erga caupones. Etenim habet dominium perfectum suorum victualium; ergo, quemadmodum posset ea hospitibus omnino gratis concedere, ita etiam eadem minori pretio quam alii vendere potest. Ergo nullam injuriam aliis irrogat, nec ad ullam restitutionem tenetur, quia jure suo utitur. Nec obstat quod cæteri caupones damnum patiantur, quia non tenetur PHILONICUS lucrum notabile dimittere, ut damnum aliorum impediatur. Possunt quoque alii idem facere, si velint. *Elbel, de Rest. n. 99. — Lacroix, l. 3, part. 2, n. 81.*

643. — 2<sup>o</sup> Nec peccavit contra caritatem, quia licitum est cuilibet lucrum modis licitis quærere : at minori pretio vendere, de se non est modus illicitus; ergo... Præterea caritas non obligat aliquem, ut hono aliorum consulat cum notabili suo detrimento. Ergo PHILONICUS neque peccavit contra caritatem, neque contra justitiam. Ergo minime in sua praxi est inquietandus. *Elbel, ibid.*

644. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Si pretium rerum lege determinatum fuerit, PHILONICUS in eo casu peccat contra obedientiam Principi vel Magistratui debitam, et etiam contra justitiam, quia Princeps, ad pacem et æquitatem in rempublicam servandam, prohibere potest ne tale genus mercium majori vel minori pretio vendatur. Pretium autem auctoritate publica determinatum, est justum, et proinde aliud est injustum. Attende autem ad legis præscriptionem; si enim prohibeat ne pretium tale excedatur, non ideo impedit ne imminuatur. *Elbel, n. 100.*

645. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæs. Non peccant contra justitiam, ut patet ex dictis. Facile autem peccant contra caritatem, qui agunt ex odio, invidia, et ruinam aliorum intendunt, ut ipsi soli subsistant. Nec adeo munifici appa-

rent, nisi, ut postea, cessante concursu, miseros viatores summo et excessivo pretio gravent et obruant. Proinde minime laudandi sunt, si pretium adeo deprimant, ut non tantum videantur ad se attrahere homines vehementes, sed etiam nihil intentatum relinquere ut concurrentes corruant.

## CASUS IX.

### ERRANS IN DAMNO 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> COCLES, cum nocte surrexisset ad vastandam vineam SIMONIS, inimici sui, errans mediis in tenebris, vineam LUCII, animi sui, vastavit.

2<sup>o</sup> CURTIUS, DIDYMO potum petenti, poculum venenatum, ex intentione necis, porrigit. JULIUS præsens, jocandi gratia, poculum e manibus DIDYMI eripit, bibit, et paulo post vitæ valedicit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An damnificator teneatur ad reparandum damnum quod fecit quidem, sed facere noluit?

2<sup>o</sup> An COCLES, ad damna vineæ LUCII reparanda, teneatur in primo casu?

3<sup>o</sup> An CURTIUS ad aliquid teneatur pro damnis quæ familiæ JULII evenerunt, in secundo casu?

SOLUTIO :

646. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. 1<sup>o</sup> Nego, si damnificator damnum illud non prævidit, ne in confuso quidem; quia damnum illud non est voluntarium ex parte damnificantis, nec proinde ei imputandum. TITIUS, v. g., vult occidere PETRUM, inimicum suum, quem solum cernit, et, PETRO illæso, occidit PAULUM quem non viderat, nec suspicabatur esse præsentem; TITIUS ad damni reparationem non tenetur erga familiam PAULI, quia homicidium fuit tantum casuale, minime vero voluntarium.

2<sup>o</sup> Si vero damnificator velit rem præsentem destruere, aut deteriorem facere, putans eam pertinere ad PETRUM, inimicum suum, dum pertinet ad PAULUM, videtur teneri ad damni reparationem, quia simpliciter rem talem, præsentem, determinatam, destruere voluit. Attamen S. Ligorius sententiam oppositam probabilem censet cum Lugo, etc.

647. R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Videtur ad restitutionem damnandus COCLES, saltem juxta communiorem et probabiliorem sententiam, ut modo dictum est. *V. Comp. n. 664.* Attamen, juxta doctrinam S. Ligorii, COCLES ad restitutionem urgendus non esset.

648. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæs. CURTIUS ab omni onere restitutionis solvendus est, si JULIUM a poculo bibendo impedire non potuit absque sceleris manifestatione et vitæ periculo. Ratio est, quia mors JULII minime fuit CURTIUS voluntaria, siquidem casum hunc prævidere non potuit; nec tenebatur cum certo vitæ periculo mortem alterius non prævisam avertere. Igitur per accidens tantum, et præter CURTIUS voluntatem, mors JULII evenit. Ergo CURTIUS non fuit causa efficax mortis JULII, sed mera occasio; JULIUS enim semetipsum enecavit, poculum non sibi destinatum bibendo. *Vogler, n. 175.*

## CASUS X.

## ERRANS IN DAMNO 2°.

1° LUPIANUS modum nocendi SYLVANO, inimico suo, quæritabat, cum ejus vitulum in prædio domini pascentem cernit. Extemplo ferream fistulam in bestiolam explodit, sed incassum: nam, loco vituli, bovem MARTIALIS, ipso ignorante, post sepem quiete jacentem, occidit.

2° CLETUS, volens nocere PETRO, inimico suo, perguit nocte ad ejus vineam vastandam; sed ecce lugendus error! nesciebat ille vineam hanc paucis ante diebus a PETRO venditam fuisse PAULO, amico suo. Quare vineam non inimici, sed amici sui vastavit.

HINC :

QUÆR. 1° An LUPIANUS *damnum bovis involuntarie occisi reparare debeat? Et quid si bos ad eundem dominum, ac vitulus, pertinuisset?*

2° An CLETUS *ad restitutionem teneatur?*

SOLUTIO :

649. — R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. LUPIANUS non tenetur ad restitutionem pro bove MARTIALIS a se occiso, quia eum occidere noluit, nec ejus damnum ullatenus prævidit. Etenim ad nihil tenetur pro vitulo, cum illæsus maneat; neque pro bove, cum illius occisio neque volita, neque prævisa fuerit. Quid autem, si utrumque animal ad eundem dominum pertinuisset? Eodem modo etiam solvendus esset casus: semper enim verum esset, damnum illatum non fuisse prævisum. *Recole dicta de actib. human., n. 2, cas. 2, ad Quærs. 3. — V. Comp. n. 672-3°.*

650. — R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. CLETUS tenetur ad restitutionem juxta sententiam communem Theologorum. Ratio est, quia adsunt omnes conditiones requisitæ ad urgendam damni reparationem, scilicet: 1° culpa theologica gravis; 2° actio injusta; 3° actio damni vere efficax. Ergo reapse CLETUS ad restitutionem tenetur.

651. — Negant tamen plures, quorum sententia videtur probabilis S. Ligorio, ut dictum est *in casu precedenti*. Dicunt isti deesse unam conditionem ad urgendam restitutionem, nempe, ut actio sit formaliter injusta, seu theologice culpabilis, erga dominum læsum: nolebat enim damnificator huic nocere, sed alteri; intendebat damnum inferre inimico, non vero amico suo.

652. — Sed non videtur deserenda sententia communis Theologorum. Responderi enim potest adversariis actionem damnificantis in hoc casu esse revera injustam *formaliter*, quia damnificans vere vult rem præsentem, determinatam destruere. Parvi enim refert qualis sit rei hujus dominus; sive sit PETRUS, sive PAULUS, flocci habendum est, siquidem quæstio nominis est mere accidentalis ad casum, nec substantiam rei afficit. *V. Comp. n. 664.*

## CASUS XI.

## TROSSULUS IMPERITUS.

SIMPLICIUS, imberbis trossulus (*fashionable*), Parisios lætus advenerat. amœnam ibi vitam aliquandiu ducturus. Omnia ipsi subridere videntur, omnibusque et ipse subridere gestit. Nondum, imperitus juvenis, humanarum rerum inconstantiam fuerat expertus. Die quadam, pulchellum equum locatione accepit, ut equitatione, qua summopere delectabatur, sese recrearet. Omnia primum fausta ipsi succedunt; omnium in se oculos et admirationem convertere videbatur. Sed, heu! vix ad suburbanum locum advenerat, cum ecce duo viri, nigro ac lucido panno induti, et in similitudinem apparitorum (*huissiers*) compositi, eum compellant: « Heus, tu, « amice, clamant, sistas paulisper, sistas, quæso; hic equus tuus non est, « non est prorsus tuus hic equus. — Verum, reponit obstupefactus SIMPLICIUS, meus quidem non est, sed locatum teneo. — Belle! belle! « reponunt nigri viri, hoc sane nobis notum est; sed nos ex judiciali sententia illum occupare debemus, cum tota ejusdem domini suppellectili, ad « ejus creditoribus satisfaciendum. » His dictis, fures cum equo aufugiunt. Tristis et gemebundus, pedester rediit trossulus, rem infelicem domino equi relaturus. Obstupescens autem iste, in iram excandescit, et SIMPLICIUM ad equi pretium, juxta summum valorem solvendum, adigit.

HINC :

QUÆR. 1° An SIMPLICIUS, *ante sententiam, pretium equi solvere debuerit?*

2° An *ad pretium summum fuerit obligatus?*

SOLUTIO :

653. — R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Quid de trossulo nostro statuendum? Damnabisne illum ad pretium equi solvendum? Ne, quæso, sententiam præcipites. Cernis infelicem jam satis infortunio punitum. Nonne juvenis experientia destitutus, tanto artificio circumdatus et fascinatus, commiseratione potius quam damnatione dignus tibi apparet? Verum, dimittesne absolutum? Sed audi indignandum equi dominum clamantem, ejulantem, vociferantem, et contra sententiam tuam reclamantem! Lis igitur ingens inter utrumque stat tibi dirimenda. Quid *Themis* rectam tenens bilancem? Quinam favebit? Tu, vero, quid judicii?

Ecce: si mihi credas, ante judicis sententiam SIMPLICIO indulgendum erit. Miraris forte, quærens quid justitiæ in hujusmodi solutione. Audi tantisper; solutio sponte sua ex principiis fluit. Etenim nulla damni reparatio in conscientia urgenda est, nisi adsit *culpa theologica*, et quidem *gravis* in materia gravi. Quis autem de culpa theologica gravi SIMPLICIUM accusabit? Nemo sane; ergo causam habet. — Sed, ais, stultus est ille; stulte enim admodum egit. — Ergo, si stultus est, non graviter peccavit, nec ad restitutionem tenetur. — Sed, ais, debuit ad furum fallaciam atten-

dere? ergo culpæ reus est. — Debuit, quidem, si de hoc cogitavit, et dolum aliquatenus suspicatus est, hoc autem est contra hypothesim. Ergo absolvendus est, saltem *probabilius* SIMPLICIUS noster.

654. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Si dominuse qui testes de facta locatione habeat, et juvenem possit in iudicium deducere, potest summum pretium equi ante sententiam petere, quia limites justitiæ non excedit, cum intra justum pretium remaneat; et equum summo pretio vendere potuisset. Expediit autem SIMPLICIO ut illud majus pretium sponte retribuatur, quia sententia iudicis probabilius adiget ad solvendum illud pretium, et insuper iudiciales expensas. *V. Comp. n. 659.*

## CASUS XII.

## PRO ASSE LEPUS.

GORGAS, rusticus, duobus militibus in media via adstat obvius, leporem modo a se occisum, venalem offerens. Jocandi causa, fingunt milites se eximiam prædam emere velle. Ocius assem novum, aurei instar præfulgentem, venatori exhibent. Hic autem specie deceptus, aureum esse reputans, excessum valoris jamjam erat redditurus. *Integrum pretium teneto, mi bone*, aiunt milites. Rusticus vero præ gaudio exsiliens, absque mora abiit, evasit, erupit. *Heus! heus tu! veni, veni!* clamant, inflatis buccis, bellatores. Ast surdo canunt: quo majores audit clamores venator, eo citius currit, ita ut nullo medio cohiberi et inveniri possit. Quid autem de lepore? Difficultas facili negotio resolvitur: manducandus erit, ne pereat. Verum vix erat in stomacho concoctus, cum infelix rusticus, errore detecto, ad contubernium militum advenit, pretium majus repositens. *Amice*, aiunt milites, *tardius advenisti; mens nobis non erat leporem emendi: tanta nobis non suppeditatur pecunia; leporem in tuam sanitatem manducavimus. Nobis te compellantibus obtemperare noluisti; nunc igitur recede in pace.*

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An milites ad restitutionem teneantur?*

2<sup>o</sup> *Quid, si contra milites ex errore aureum pro asse rustico dedissent?*

SOLUTIO:

655. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Nego per se.* In hoc casu applicandæ sunt regulæ possessoris bonæ fidei. Etenim in hypothesi milites rusticum non inventientes, nec amplius expectantes, habuerunt leporem ut rem derelictam, et eum manducarunt. Igitur neque rem habent, neque ejus pretium, nec ditiores inde evaserunt. Ergo nihil restituere debent. Ergo sibi soli venator damnum suum imputare debet, cum milites eum compellentes audire noluerit; siquidem aufugiendo, neque clamoribus obtemperando, stulte egit. Excipe tamen casum in quo locus esset angustus, ita ut postea milites facile a rustico, detecto errore, inveniri potuissent, v. g. quales sunt milites qui in præsidiis parvæ civitatis habentur, et ideo venatoris reditum

prævidere debuissent; tunc enim tantisper expectandum fuisset, ut ille redeundi, et eos detegendi tempus haberet. Cæterum etiam in primo casu valde conveniens est ut milites pretium leporis solvant, cum bestiam ederint. Etenim, si non est debitum ex rigore juris, est saltem ex honore, præsertim pro militibus, qui viri honorabiles haberi volunt.

656. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Si, vice versa, milites ex errore aureum pro alia moneta rusticodedissent, hic, errore cognito, statim milites inquirere debuisset, et inventos indemnes facere. Si vero, facta diligentia, eos reperire non potuisset, hanc superfluum pecuniam ipsi retinere licuisset, ut supra de rebus inventis dictum est.